Et a servo eius alapam tibi datam humiliter sustinuisti
O dulcissime domine per sudorem sanguineum te rogo
Per captivitatem et vincula tua te exoro
Quatenus expolias me a vinculis omnium delictorum meorum
Et perducas me post hoc exilium ad gaudia beatorum
Quod nobis omnibus prestare dignetur dominus noster Jhesus Christus
Qui cum patre et spiritu sancto est in perpetuum benedictus Amen

Hora matutina hec facta sunt in Christo hanc figuram require Capitulo xviij°

Gratias ago tibi domine mi benedicte Jhesu Christe
Quia tu es deus meus et salvator meus vere
Qui hora matutina dilectionem tuam michi ostendisti
Qui propter me in domo Cayphe illudi voluisti
Ibi principes et seniores populi congregati fuerant
Et contra te causas et testimonia falsa quesierunt
Sed nullam causam mortis iustam invenire potuerunt
Quia omnia testimonia eorum falsa erant
Cumque Cayphas quesisset si filius dei esses
Et te filium dei cum confessus esse fuisses
Et iustam causam mortis iudicaverunt
Hic reus est mortis omnes contra te exclamaverunt
Faciem tuam amabilem et gloriosam velaverunt
Colaphis et alapis multimodis certatim verberaverunt
Dixeruntque te ipsum debere prophetizare
Et quis esset qui te percussit deberes enarrare
Faciem tuam delectabilem in quam desiderant angeli prospicere
Non sunt veriti maculare suis nephandis sputaminibus
Oculos tuos lucidiores sole qui omnia conspiciunt
Obumbrare velamine et excecare conati sunt
O dulcissime domine rogo te per velamen oculorum tuorum

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0245
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg